

**Tabis dorsualis adumbratio pathologica : dissertatio inauguralis medica ... /
auctor Theophilus Guilelmus Schesmer.**

Contributors

Schesner, Gottlieb Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Guilelmi Schadij, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/frpt49np>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





TABIS DORSUALIS
ADUMBRATIO PATHOLOGICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM
ORDINE

PRO SUMMIS

IN

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEOPHILUS GUILIELMUS
SCHESMER

BORUSSUS

DIE VIII. M. MAII. A. MDCCCXIX.

H. L. Q. S.

Cum Tabula aenea.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI GUILIELMI SCHADII.

VINO

AMPLISSIMO EICISSIMO

IOHANNI SIMONI MARESCHE

PHYSICAE ET CHIRURGICAE DOCTORI REGIAE
CONSILII REGIIUS MARITIMUS ET
MEDICUS

PAUTORI PATRONQUE

PHYSICAE ET CHIRURGICAE

D. D. D.

PHYSICAE

Prooemium.

Quum in colendis studiis meis academicis nervorum morbos ad diagnosin curamque eorum planius mihi enucleandam diducere coepissem, tabem dorsualem morbum nervorum putare mihi visus sum, qui nequam classi morborum systematis nervosi ex nimia humorum nobiliorum profusione oriundorum accenseri possit, sed affectu nervorum primario nitatur. Quam ob rem tabem dorsualem non solum ab excessu in venere, sed diversis aliis causis enasci posse colligo, quod hocce in opusculo, quantum licuit, evincere studui. Per gratiam Praeceptoris Gravissimi, ad cineres usque colendi Illustrissimi Horn in nosocomio caritatis aegrorum adire mihi contigit, cuius morbi historiam neque minus, quod in cadavere perfecto est repertum, hisce pagellis superaddidi. Quibus si aliquantulum utilitatis praestiterim, votis meis quam maxime satisfactum esse confitebor.

§. I.

Inter alios morbos chronicos, quos ad nostrum usque aevum medici observarunt, tabem praecipue notare licet, homines libidinosos prae caeteris male habentem, plerisque tabem dorsalem, melius dorsualem, denominatam. Eidem ab aliis hecticae vel tabis maritorum vel myelophthiseos rel. nomen impositum est. Dorsalis denominationem haecce corporis tabescentia ab autore quodam librorum hippocraticorum ¹⁾ nacta est, cuius ipsissima verba haec audiunt: Dorsalis tabes a medulla fit. Corripit autem maxime recentes sponso, et veneri deditos. Sunt autem sine febre, et bene cibum capiunt, ac consumuntur. Et, si interroges ita affectum, dicet sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri; et ubi mingit, aut ventrem exonerat, prodit ipsi genitale semen multum ac liquidum, et genitura in utero non manet, et insomnis semen profundit, sive dormiat cum uxore, sive non. Et cum iter fecerit, aut cucurrerit, tum alias, tum ad acclivem locum, anhelatio, et debilitas ipsum corripit et capitis gravitas, et aures sonant. Hunc temporis progressu, ubi febres fortes ipsum corripuerint, perdunt febres lityriae. Alia etiam huius morbi species in alio Hippocratis ²⁾ libro, sic descripta legitur: Resiccatur medulla spinalis maxime cum venulae ad medullam tendentes fuerint obturatae, itemque ex cerebro accessus. Propter corporis autem afflictionem haec

1) Hippocrat. Op. omn. Lib. de morbis.

2) Lib. de internis affectionibus.

patitur, et aegrotat. Resiccatur etiam a venere. Haec igitur patitur: dolor acutus incidit ipsi in caput; et in collum, et lumbos, et in lumborum musculos, crurum ut aliquando flectere non possit. Et stercus non secedit, sed sistitur. Et urinae difficultate vexatur. Hinc in principio quidem morbi quietius degit. Quanto autem magis tempus morbo prolongatur, tanto magis omnia dolent. Et cum velut ab aqua inter cutem tument, et ulcera ex lumbis emergunt; et alia quidem sanescunt, alia vero nascuntur. Utraque species, etsi eadem fere videtur, eo discrepat, quod in altera corpus infirmum per totum morbum male haberi videtur, in altera corpus aegrotationi magis obnitens. Utraque hanc speciem ex Hippocratis libris verbotenus hic proposuisse non dubitavi, quum persuasum mihi haberem, eandem experientia comprobari, quod ex infra positis elucebit. Praeterea in alio Hippocratis ³⁾ libro singula species describitur tabescentiae dorsalis, hoc ipso auctore iudice a defluxione alicuius humoris in medullam spinalem coorta, contra quae in libro, de locis in homine, haecce expromit: cum in medullam fluxio contigerit, tabes occulta ac inconspicua oboritur, unde patere videtur, utramque speciem neutiquam tabem dorsualem esse habendam. Neque descriptio duplicis illius speciei signa nobis exhibet, e quibus affectio medullae spinalis, quam autor sententiarum supra recensitarum sedem morbi facit, colligi possit.

§. II.

Plurimi post Hippocratem autores tabem dorsualem esse tabescentiam ex nimio in venere excessu ortam, qua quidem causa autore Sachtleben ⁴⁾ ab omnibus aliis differre dicunt. Morbus quantum indagare potui, in viris tantum a nimia venere observatus est, quam ob rem factum est, ut seminis profusio causa morbi vera a multis haberetur.

3) Hipp. de internis affectionibus et de glandulis.

4) Sachtleben Versuch einer Medicina clin. der aussehenden Krankheiten P. I. p. 89.

Brendelius ⁵⁾ vera, inquit, tabes dorsualis corporis macor quidam est, et febricula lenta a liquoris genitalis immodico dispendio, cuius sententiae omnes fere recentioris aetatis medici adstipulantur, quorum adversarii mulieres quoque ex nimia venere in eam incidere asserunt. Willisius ⁶⁾ v. c. mentionem facit tabis dorsualis a profluvio ichoroso vel putrilagine e partibus genitalibus, tum in viris tum in feminis oriundae. Vogelius ⁷⁾ feminas etiam tabi dorsuali obnoxias esse, humoremque albicuum ex partibus earum naturalibus assidue fere exstillare testatur. Ex recentioribus Rachetti ⁸⁾ quidem his verbis sententiam suam comprehendit: „bastandomi di conchiudere, che i patimenti de' nervi, in conseguenza della commozion convulsiva, che soffron le donne, abusando de' piaceri amorosi, sieno la cagion principale del caderne anch' esse nella tabe dorsale.” Alii denique medici praeter excessum in venere alias quoque tabis dorsualis causas proponunt, quorum Willisius ⁹⁾ e defluxione in spinalem medullam, et Tulpus ¹⁰⁾ eodem ex fonte eam profectam se vidisse affirmant. Frankius ¹¹⁾ aliam interdum originem hanc tabem quam ex venere, eandemque Richter ¹²⁾ ex contusionibus, regionem lumbalem praecipue ferientibus, capere memoriae prodiderunt.

§. III.

Inficias non eundum est, fluorem album diuturnum vehementem ac chronicum feminarum maximam debilitatem, quin ipsam tabem excitare et

5) Brendelii Opuscul. math. et med. argument. Dissert. de tabe dorsuali.

6) Thom. Willis Opera omnia P. II. C. tabes dorsalis.

7) Rudolph August. Vogel Praelect. de cog. et curand. praec. corp. human. affect.

8) Della struttura della funzioni, e della mullatie della midolla spinale Opera di Vincenzo Rachetti Milano MCCCXVI.

9) l. c.

10) Nicolai Tulpii Observat. med.

11) Frank Epitome T. V. P. 1. p. 262.

12) Richter Specielle Therapie T. IV. p. 557.

stabilire posse, multifariam tabi dorsuali non assimilem. Huiusmodi mulieres macrescunt, variis capitis doloribus, dorsi et lumborum conflictantur, animum habent demissum et vel minima exaltatione cordis palpitationem et anxietatem experiuntur. praeterea dyspnoea, anorexia, interdum vomitu nec non diversis abdominis gravaminibus, et semper fere alvo adstricta tentantur, quibus gravitas et languor extremitatum inferiorum, tremor perpetuus artuum et tandem febris lenta, mortis nuntia, accedunt. Hac in tabe ex albo fluore coorta systema nervosum insimul est affectum, nec unquam inter initia morbi prae ceteris conspicua imbecillitas et relaxatio fibrarum muscularium extremitatum inferiorum, neque extenuatio musculorum dorsi nec vitia vesicae urinariae tabi dorsuali propria observantur. Rachetti causam praecipuam occasionalem ex stimulo in coitu deducens, eodem argumento permotus mulieres tabi dorsuali patere opinatur, quum in confesso sit, mulieres quasdam non solum in coitu summo voluptatis stimulo affici, verum etiam eiaculationes humoris alicuius cum libidine ex partibus genitalibus, virorum pollutionibus similes, pati. Huiusmodi eiaculationes in hysteria libidinosa non raras fiunt, quin imo sanae cuicunque mulieri incitamento imaginationis libidinosae accidunt. Exemplum proposuit Sperling¹³⁾ puellae nubilae, quae si in amatoris conspectum venerat, notabilem humoris limpidi per muliebria cum voluptate effundebat quantitatem. Feminae hocce stimulo imbutae facile concipiunt, graviditas quo minus stimuli illi tabem dorsualem excitent, impedire, quae vero coitu abstinent et manustuprationibus indulgent, menstruatione ab eodem morbo defendi videntur, quod ex sequentibus apparebit. Quot et quantos etiam super hac re libros evolvi, nusquam certam tabis dorsualis a nimia venere feminarum descriptionem investigavi, contra Brendelius, viris tantummodo eam commu-

13) Sperling Dissert. de morbis ex nimio veneris usu thes. 13. Resp. M. I. H. Heuchero. 4to. Viteberg 1700.

nem esse disertis verbis affirmat. Ad quaestionem, an praeter excessum in venere aliae sint causae, evicta demum huius morbi a nimia venere sede et ratione respondere licebit.

§. IV.

Medicorum opinio, nullum fere humorum nobiliorum damnum vitam adeo miseram, tantumque corporis marcorem, quam violentam seminis profusionem ex immodica venere inducere, sexcentis exemplis comprobatur. Ingens ac funesta recensio noxarum ex seminis profusione ortarum, ab autoribus circa onaniae descriptionem versatis, praeter ceteris a Tissotio ¹⁴⁾ exhibetur. Ex innumero malorum grege ex nimia venere inducto, tabes dorsualis interdum esse consuevit, cuius origo, an repetenda sit ex immodica seminis iactura, quae sequela demum est plexus spermatici, stimulo continuo inter coitum debilitati, an ex nimio incitamento nervorum finis extremi spinalis medullae, an hi nervi debilitate plexus spermatici, deinceps afficiantur, infra disputabitur. Haec tamen praemitenda censui, ut in recensendis symptomatibus affectiones nervorum molliorum et nervorum medullae spinalis distinguere discamus, quorum scilicet affectibus morbus nititur. Quum natura variam hisce nervis addiceret structuram, effectus eorum tum sanorum tum aegrotorum diversi sint, necesse est.

§. V.

O Here! quae res

Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult: amoris haec sunt mala.

Horat. Serm. L. II.

Homo aetatis flore libidinis flagitio deditus, et inde seni persimilis, debilis, effoetus tum animo tum corpore, timidus atque pavidus, morosus ac demissus, cuius calamitas hypochondriam inveteratam adaequat, quique nunc dolores capitis multiplices, occipitis praesertim, nunc appetentiae de-

14) Tissot Dissertation sur les maladies produites par la masturbation.

fectum, abdominis ardorem rel. conqueritur, quem pollutiones primum nocturnae deinde etiam diurnae modo cum modo sine voluptate libidinosa, imaginatione vel minimum exaltata, et vix mediocri corporis contentione tentant, is fere est, qui sub hisce malis tabem dorsualem ex nimia venere experiri possit. Primum tabis dorsualis indicium, ex peculiari aegroti sensu, quasi formicae aut vermiculi ab occipite per spinam eius descenderent, medico redundat. Quin feruntur, qui pungentem dolorem et dorsi frigus conquerantur, quae symptomata communia Welschius ¹⁵⁾ et Helwichius ¹⁶⁾ in aegrotis se observasse negant. Hisce signis, vel apparentibus vel deficientibus medicus emaciatione totius corporis musculos dorsi et extremitatum inferiorum prae ceteris attenuari animadvertit. Si aeger iter fecit aut diu stetit insigni lassitudine conficitur. Crurum infirmitas quotidie adeo ingravescit, ut ingressus eius incertus et instabilis redatur. Aeger gressum faciens crura omnibus quasi musculis intentis sublevare videtur, pedibusque in terra collocatis omnes eorum articuli prae ceteris genuum vacillant siquidem omnes fibrae tum musculares tum ligamentosae relaxantur, aegrotusque paulatim facultatem musculos crurum movendi amittit. Extremitates inferiores sensim sensimque, haud tamen ex toto torpent, etiamsi sub fine morbi frigescunt, artubusque emortuis similes de corpore pendent. Coelo mutato aegrotus dolores partium inferiorum, rheumaticis non dissimiles, sentit. Extenuatio musculorum dorsalium eo usque augetur ut processus spinosi vertebrarum prae ceteris promineant. Insimul vesica urinaria male afficitur, ut aeger primo quidem morbi exordio urinam aliquamdiu retinere possit, veruntamen necessitate eam deijciendi coactus, postea, quamvis non ex toto, vesicam exhauriat, et involuntario eorum quae

15) Georg. Hierony. Welschius Curatio. prop. et consil. med. Dacad. VIII. Cur. IX. p. 521.

16) Christ. Helvichius Miscell. s. Ephemerid. acad. nat. curios. Decur. III. Ann. VII. et VIII. observ. CXLIX. p. 329.

resederunt stillicidio urgeatur, summo valetudinis fustigio perpetua urinae destillatio absque sensu et cupiditate urinandi est. Alii, Weidenbachius ¹⁷⁾ ait, ischuria, stranguria et dysuria conflictantur, quod dubitationem recipere mihi vix videtur, quum illa vesicae vitia usque ad urinae incontinentiam plerumque se excipiant, aegrotique ineunte morbo dolores circa vesicam experiantur. Praeter haec symptomata primaria aegri diutius pollutiones tum nocturnas tum diurnas, sed sine sensu libidinosa et penis erectione fere evenientes, conqueruntur, quas spirituosorum et aphrodisiacorum usu facili negotio excitare licet. Nonnunquam etiam semen infecundum aquae simile et odoris expers stercoreum dejectione protruditur. Penis gracilis, testium volumen decrescit, iique de scroto, sudore madido et relaxato dependere solent. Quidam aegrotos sub initio mali blennorrhoea urethrae vexari asserunt. Laborantes lente macrescentes per diu febre vacant, cetera hypochondriacorum valetudini exacte respondent, etenim morosi sunt, animo anxio maleque contento, loca solitaria amant, omnem hominum societatem fastidiunt ac fugiunt; sunt qui procedente morbo memoria propemodum destituantur, et in fatuitatem conjiciantur, quidam tamen autore Heim ad vitae usque terminum serena hilarisque mentis fuerunt. Ciborum appetentia inde ab initio imminuta, alii cruditate stomachi tentantur, alii iique permulti, quamvis postea cibum petunt et capiunt, neque recreantur neque nutriuntur; alvus semper adstricta sed torminibus immunis est. Inter initia mali ardorem, plenitudinem, tendorem abdominis aliaque pathemata, hypochondriacorum exemplo, queruntur, iuxta quae phlogosi ad faciem et caput, multiplici capitis dolore, occipitis potissimum, gravitate, vertigineque capitis, susurro ac tinnitu aurium excipiuntur, quae corporis mentisque intentione intenduntur ¹⁸⁾. Fa-

17) Christ. a Weidenbach Dissert. inaugural. de tabe dorsuali. Berolini MDCCCXVII.

18) Aegroto alicui, quem inter initia tabis dorsualis deprehendi, haemorrhagia narium, aliquoties repetens, affectio-

cies livida pallidaque, animi moestitiam denunciat, oculi languidi lacrymas facile fundunt, et in ambliopiam, quae postremo ab amaurosi proxime abest, deferuntur. Omnino tabidi stimulis vel minimis patent, et cordis palpitationem facillime perpetiuntur. Hac ratione morbus symptomatis omnibus debilitatis et relaxationis fibrarum, praecipue partium inferiorum magis minusve invalescentibus, lente serpit; usque dum aeger aliquanto post neque pedibus insistere, nec nisi dorso prono sedere potest. Sensus spinae dorsi peculiaris exeunte morbo evanescit, aegrotusque neque pollutiones neque dolores amplius conqueritur. Corpore animoque talem in modum exhaustis, pedes circa talos intumescunt, febris lenta accedit, capillique fluentes, urinae foetor, sudores colliquativi ac diarrhoeae mortem imminentem testantur.

Scire autem licet, hisce symptomatis atrocibus decursum morbi, si ad mortem vergit, intra aliquot annos non absolvi, qui quum, praeprimis si in corpus iam excultum se insinuavit, annos decem et quod excurrit saepenumero persistat, haud facile totum tabis dorsualis ex nimia venere decursum accurate observare licebit, nisi affectio alius cuiusque nobilioris organi, spatium eius contrahat.

§. VI.

Huic morbi adumbrationi historiam viri in nosocomio caritatis nostro tabe dorsuali ex nimia venere defuncti, quantum ex diariis nosocomii excerpere licuit, addidi et sectionem cadaveris a me institutam describendam curavi.

Historia morbi.

Guilelmus Franz equitandi magister, annorum quadraginta quinque et quod excurrit, caelebs, corpore non minus procero, gracili, naturae congruo,

num illarum capitis levamen attulit; memoratu etiam dignum videtur, quod idem aegrotus, qui ex onania vitium illud contraxerat, quum aliquando masturbationem exerceret, inter seminis eiaculationem subitas et vehementes punctiones testiculorum expertus est, inde onania abstinuit, et post haec etiam interdum hos punctiones conquerebatur.

thorace autem angustiori, multas tum animi tum corporis calamitates expertus, mentis securitate et hilaritate quas superavit, nunquam vitam otiosam, immodicam vero degebat. A teneris inde equitandi cupidissimus, quamdiu corpore integro fuit, huic cupiditate indulsit. Aetatis florem Veneri, Bacchoque commisit, quam ob rem veneno syphilitico plus semel affectus virium robur infregit. Circiter annum duodevicesimum ieiuno vomitus sine ratione manifesta aliquamdiu accidit, quo cum in dies emacresceret, vesicae urinariae debilitas paulatim accessit, cuius ea fuit ratio, ut parum impleta vesica urinae mittendae quidem necessitate urgeretur, sed deficiens radium cohibere, non valeret. An ab initio seminis profluvio laboraverit, diaria nosocomii, quod dolendum est, silentio praetereunt. Eodem tempore primam partium inferiorum debilitatem sensit, nam unaquaeque ambulatio, valde eum defatigabat; equo insidere conatus, virium defectu impeditus est quo minus femora equi lateribus firmiter applicaret. Propter quae quum prae aliis remediis aqua Freyenwaldense ac Toeplizensi frustra usus esset, corporis totius debilitas, etsi melius interdum habere sibi visus est, prae ceteris exinatio partium inferiorum eo usque adaucta est, ut gressum illum, tabi dorsuali proprium incertum scilicet atque titubantem experiretur, et extenuatio musculorum dorsi, vesicae urinariae infirmitas augerent. Anno MDCCCIV, quamvis lavando ex faecibus vini frumentacei magnum levamen percipere sibi videbatur hac spe tamen dejectus munere suo abdicare coactus est. Aliquot annos post animi morbo correptus est haud dubie inde exorto, quod corporis mala vim perniciosam in animum exerebant et res domesticae variis sollicitudinibus eum oppugnabant. Animi aegrotatio maniae formam exhibuit; aeger multa, eaque ab initio colloquii haud inepta locutus est, continuata autem oratione vana et incondita nonnisi edidit. haud tamen mens eius in eadem semper idea defixa fuit. Die noctuque irrequietus magnam trachiorum vim ostendit. Die XXIV M. Iunii anni MDCCCVIII e nosocomio ca-

ritatis, in quo quidem quatuor menses circiter commemoratus erat, tanquam sanae mentis dimissus est. At tantum abfuit ut corporis mala decrescerent, ut adeo augerentur. Die XXVI M. Iunii anni MDCCCXIV secundum aeger in nosocomium caritatis receptus est, melancholia scilicet irretitus, hallucinationibus ideaque fixa coniuncta, quae ipsi persuaserat, feminam quandam ex urbe undecunque insistere, in matrimonium se cupientem. Cetera aegrotus contentus fere, corporisque mala magis magisque in melius converti opinatus, corpore prono in sella detinebatur, inferioribus scilicet partibus unamquamque ambulationem ex toto detrectantibus. Duobus modo ministris eum sublevantibus suffultus, incedendi facultatem quamvis imperfectam nactus est; gressum facturum primum pedis dextri calcem dein sinistri tanta cum contentione promovit, ut magnus, ne praeceps caderet, metus subesset. Ligamenta articularum tum coarum tum genuum tantopere relaxata fuerunt, ut partes extremae ossium inter gressum non locum consuetum obtinerent, sed femoris condyli ex fossa sua glenoidali tibiae discederent. Quum omnes omnino articuli iusta firmitate destituerentur, articuli genuum retrorsum adeo inflexi sunt, ut aversa poplitis pars adversam adaequaret, et condyli ossium poplitis una tumescerent¹⁹⁾ Magis magisque corporis macies, praecipue musculorum dorsi extenuatio increvit, quo factum est ut processus spinosi vertebrarum mirum in modum prominere, praeter quae emaciatio et relaxatio inferiorum partium semper fere frigidarum, torpidarum dolorisque expertum summa exstitit. Ad augendam debilitatem huius miseri annos aliquot ante mortem phthisis purulenta pulmonum malo veteri accessit. Facies pallida, atque livida, oculi splendoris expertes et languidi nonnisi palpebris paulo contractis videbant; cibum potumque, quamvis aeger non respuebat,

19) Vide iconem naturae convenienter in tabula aenea expressam, duobus baculis suffultam, qui quum vivum aegrotum sustinere non possent, ministrorum loco additi sunt.

alvo tamen adstricta semper laboravit. Sub morbi fine perpetuum urinae stillicidium sine mingendi cupiditate fuit. Hallucinationes postremo obscuriores et rariores factae sunt, febris lenta supervenit et simulacri inanis instar miserrimus iste inter sudores et diarrhoeas colliquativas mense Iulio anni MDCCCXVIII ad beatiorum vitae conditionem transmissus est.

§. VII.

Cadaveris Sectio.

Parte posteriori thecae vertebralis cadaveris curiose patefacta, medulla spinalis, membranis rite circumvestita apparuit; ex pressione, deorsum in duram meningem facta, nulla nisi in infima medullae spinalis parte fluctuatio observata est. Quum a superiori parte matrem duram aversam aperuissem, locumque fluctuantem attigissem unciam fere materiae purulentae gelatinosae ad finem infimum durae matris effusam deprehendi. Tunica arachnoidea eodem loco, quo materia collecta fuit, tenuissima, quum vulsella eam sublevaturus essem, disrupta est. Pia mater utique circum funes caudae equinae circumvolvebatur, siquidem funes non tenuiores, quam in aliis cadaveribus observavi, oculis meis patuerunt, alia tamen eorum loca ex fusco rubra, alia albida fuerunt, par tantum secundum sacrale mancus illis vacans, uti consuevit; tenuius erat pari primo sacralium. Quoties funem caudae equinae vulsella apprehendere studui, in plures funiculos longitudinales diductus est, non secus ac si hominis sani cauda equina aliquamdiu aqua maceretur. Alia tamen fuit parvis secundi ratio, ex toto integri. Si, quod minimi fuit negotii, singulos funium in fibras longitudinales diffidissem (qui serius medulla spinali aliquamdiu in spiritum vini demersa sponte diffissi sunt) cauda equina tanquam tabida compa-ruisset. Weidenbachius ²⁰⁾ caudam equinam hominis, tabe dorsuali ex nimia venere defuncti, revera tabe confectam se deprehendisse affirmat.

20) Lib. C. §. VIII.

ntum centrale sive nervus impar veterum
 crassitiem neque excessit, nec tanta tabe ab-
 us fuit, quanta in tabula aenea dissertationis
 indenbachianae prae omnibus nervorum funibus
 confectum videmus. Femoris nervi densi ac solidi
 nihil praeternaturale exhibebant. Circa arachnoi-
 deam nullam, si a superioribus illis discesseris, et
 circa duram et piam matrem ne harum quidem la-
 bem oculi observarunt. Medulla spinalis ipsa soli-
 tae spissitudinis, iuxta descensum plexus brachialis
 et in inferioribus vertebrae dorsi non praeter soli-
 tum tumore inflata erat, eadem in acumen aequale
 exiit, quod in paucis quae dissecui cadaveribus mihi
 quidem semper observare licuit, quamvis Hubero²¹⁾
 et Frotschero²²⁾ testibus medulla spinalis in-
 tegra, qua finitur, exiguos tumores refert. Nervi
 molles quantum explorare potui nihil morborum os-
 tenderunt. Cerebellum prae ceteris tam molle
 reperi, ut, quum per aliquot dies spiritu vini co-
 geretur, mollities eius mira existeret. Corpora oli-
 varia, restiformia et pyramidalia integra fuerunt.
 Cerebrum nec solito durius nec mollius, vasa eius
 sanguine non oppleta, omnesque partes sincerae
 erant. Vesicae urinariae diameter septem fere pol-
 lices in latitudinem patebat, tunicae eius emollitae
 lineas quatuor circiter crassitie adaequabant. Glan-
 dula prostata tactu durior quam ex consuetudine
 fuit. Vesiculae seminales exiguae, aliquantulum hu-
 moris aquosi, qualis fere in infantibus inveniri so-
 let, continebant. Testiculi solito minores, renes et
 uretheres naturae congrui, viscera intra saccum pe-
 ritonei vitii expertia fuerunt. Pulmones hic illic
 tuberculis obsiti, ala vero dextra circa apicem ul-
 cere ovi gallinacei magnitudine, exesa observabatur.
 In utraque extremitate inferiori tum finis articuli
 inferior ossis femoris, tum finis superior articuli

21) Georg. Christ. Frotscher. Descriptio medul. spi-
 nal. quoque nervor. iconib. illustrata. Erlangae 1788.

22) Ioan. Iac. Huber de medul. spinal. speciat. e nerv.
 ab ea provenienti. commentatio cum coniunctis tabulis. Goet-
 tingae 1741.

tibialis gravius intumuerat, quo factum est ut culter facile in tumorem descenderet. Condylus ossis femoris externus ex fovea sua glenoidali extrorsum deflexerat, et condylus internus in medio capite tibiae collocatus, patellae ergo situs obliquus fuit. In articulo genu pedis dextri, massa inaequalis, dura, haud munita, matri perlarum similis, magnitudine nucis avellanae, et dissectae cepae instar ex stratis composita deprehendebatur. Omnes cadaveris musculi maridi, macri sed saturate rubri fuerunt. Ossa columnae vertebralis, quantum ex facili negotio, quo scalprum recipiebant, iudicandum censui, molliora mihi visa sunt.

§. VIII.

Diagnosi morbi pertractata ad causas veniendum est, in quibus quum supra nimiam venerem posuerim, scire licet, facilius aliquem experientia teste in tabem hanc inidere posse, qui nimiae Veneri et Baccho simul indulget, et praeterea aphrodisiacis utitur, ne consuetus voluptatis stimulus deficiat, quod magis etiam fieri solet, si in tanta perversitate erecto corpore negotiis vacat, coitumque stans exercet. Viri graciles tenuioribusque nervis instructi, Welschio ²³⁾ Zacuto, ²⁴⁾ Helwichio ²⁵⁾ multisque aliis medicorum testibus, quibus cura aegrotorum graciliorum fuit, facilius quam reliqui veneris cupidi ad tabem dorsualem proclives sunt. Libidinosi etiam viri parentibus aequae libidinis usi, quum autore Rothio ²⁶⁾ haud mediocris sit eorum numerus, qui propensitate quadam haereditaria in venerem feruntur, dispositione ad tabem dorsualem imbuti sunt.

§. IX.

Hac in sectiuncula de natura tabis dorsualis ex nimio veneris usu meam ipsius sententiam proponere non dubitabo. Autori librorum hippocratico-

23) Lib. C.

24) Zacutus Lusitanus. Prax. admirab. L. II Obs. 89.

25) Lib. C.

26) W. Rothe von den Ursachen der Selbstbefleckung und Ausschweifung etc. Leipz. 1798.

rum tabes dorsualis ex medulla spinali oriunda visa est, quod quidem his verbis testatur: dorsalis tabes a medulla fit, idem altero libro: resiccatur, inquit, spinalis medulla. Praecipua huius tabis symptomata, quod ex diagnosi facile patet, vim nervorum depravatam spinalis medullae, praecipue finis eius inferioris significant, quapropter hic morbus species tabium nervorum sit necesse est. Tabem quae originem ex inertia functionum animalium trahit, quatenus ea inertia ex nervis prodit, medici nervorum dicere consueverunt. Haec est ratio tabis dorsualis quippe quae ex inertia nervorum spinalis medullae originem capit. Quomodo ex causa posita morbus oriatur ostendere meum puto. Si quis coitum exerciturus est, imaginatio primum ad nervos medullae spinalis ad genitalia pergentes, voluntatis imperio subjectos agit, unde vita eorum aucta, impetus sanguinis ad partes genitales illosque nervos producit. Nervi voluntati subditi stimulum suum ad nervos organorum semini secernendo inservientium, quibus arctissime coniuncti sunt, propagant, unde in his etiam actuositas maior redditur, stimuloque omnium nervorum partium genitalium maximopere exaltato seminis eiectio evenit, quam totius corporis lassitudo subsequitur, quae satis legem, stimulum nimium debilitate excipi, confirmant. Quo magis autem hi nervi coitu saepius repetito excitantur, eo magis incitabilitas adaugetur et actuositas eorum decrescit. Physiologia docuit, quanto magis nervus organo secernenti inserviens incitetur, eo crebriorem huius organi secretionem nasci; quum enim plexus spermaticus organis semen secernentibus dicatus saepius incitetur, secretio seminis frequentior fiat necesse est. Nervi exeuntis spinalis medullae et maiorem incitabilitatem subibunt, unde pollutiones imaginatione vel minimum exaltata oriri posse apparebit. Ex fabrica nervorum mollium, magisque plexus spermatici intelligere licebit, incitatione eius continua et coacta plexum illum multo prius, quam nervos firmiores spinalis medullae partis inferioris, qui insimul hanc irritationem experiuntur, in statum debilitatis incisurum. Itaque diu sine morbosae medul-

lae indiciis signa infirmitatis plexus spermatici et sympathici per illum coaffecti eveniunt, et per vitam saepius, hypochondriae formam induta, persistunt, cuiusmodi hypochondriaco homini malis diversissimis atque atrocissimis, praesertim abdominis, conflictandum est, quum, quamvis salva medulla spinali, eadem causa in utrumque systema nervosum vim simultaneam exereret. Si vero medullae hominis nimiae veneri indulgentis, a natura debilitas quaedam, vera tabis dorsualis dispositio insita est, eadem causa, coitu nempe, proxima morbi causa excolitur, posteaque debilitas summa caudae equinae in corpore aegroto se conspiciendam praebet. Sub qua quum totum corpus emacrescat, morbo qui ex debilitate medullae spinalis, praecipue vero caudae equinae, et sympathici magni componitur, tabis dorsualis ex nimia venere nomen indidimus. Nullus autem puto, debilitatem medullae secundariam ex nimia seminis profusione, uti Brendelio ²⁷⁾ multisque visum est ortam esse, quod si esset, secretio seminis hoc in morbo profusissima foret, organaque semen secernentia semper ceteris praevalerent. Morbus etiam explicari non posset nisi statueremus, vires optimas organis aliis, ipsamque medullam nervosam vaginae suae detrahi, et ad seminis praeparationem consumi. Veruntamen hoc in morbo parum aquosi et infoecundi, postremo nihil omnino seminis secernitur; nec ego video, cur medulla tantum ex infimo medullae spinalis fine, et ex cauda equina, quae Weidenbachius ²⁸⁾ alique tenuiora in tabe dorsuali emortuis deprehendebant, emulgeatur? Huiusmodi morbi explanatio in illam aetatem quadraret, qua auctore libri hippocratici de genitura, et Anaxagora duce semen profluvium spinalis medullae esse iudicabant, vel adstipulari oporteret Philosopho Abderitano: ἐκκρίνεται τὸ σπέρμα ἐξ ὅλου τοῦ σώματος. ²⁹⁾ Ex

27) Lib. c.

28) L. c.

29) Plutarch. physic. philosoph. decret. Lib. V. c. 3. p. 107. Galen. defin. med. p. 401.

Ex phaenomenis in cadaveribus hoc morbo defunctis obviis, parum causam proximam morbi diiudicare licet, minorque est historiarum sectionis copia, quam ex quibus certi quidquam colligi possit. Ex Weidenbachii opinione, qui caudam equinam ultimumque medullae spinalis finem extenuatum se vidisse affirmat, eamque causam proximam huic tabi vindicat ³⁰⁾ pathogeniae, si quid ego hic iudico, parum lucis contingit; qui quum neget emaciationem ex inflammatione originem traxisse, quis alius processus eam effecerit non intelligo. Hunc enim processum, non emaciationem, quae illius sequela est, causam proximam tum habendam esse patet. Item Hornius ³¹⁾ caudam equinam viri tabe dorsuali demortui, extenuatam reperisse contendit, sed concrementa ossea inter duram matrem et arachnoideam simul deprehensa, unde tandem venisse dicantur? Equidem iuxta ea, quae in cadavere observavi, ex parte processum medullae spinalis morbum efficientem conjicio, maximeque iuxta similitudinem huius morbi cum inflammatione chronica medullae, de qua Brera ³²⁾, Harles ³³⁾, Bergamaschi ³⁴⁾, Niel ³⁵⁾ alique exponunt. His inflammationibus eadem signa, quae in tabe dorsuali ex nimia venere oriunda medulla offert, praetertim si pars eius inferior inflammatione chronica occupatur, propria sunt: semiparalysis pedum et vesicae, musculorum dorsi extenuatio etc. Ex quibus, in tabe dorsuali a nimia venere inflammationem asthenicam tarde serpentem, ex congestionibus sanguinis vehementibus in exercendo coitu ad partem inferiorem medullae spinalis oriundam ner-

30) Ch. a Weidenbach Dissert. c. §. XI.

31) Ernst Horn Archiv für medicinische Erfahrung v. März und April 1813.

32) 33) Ueber Entzündung des Rückenmarks von D. V. Brera und D. C. F. Harles. Nürnberg. 1814.

34) Bergamaschi, Osservazioni sulla infiammazione della spinale midolla, e delle sue membrane. Pavia 1810.

35) Niel, sur le Spinitis in Corvisart's Journal de med. 1812.

vorum destructionem, qualis reperta est, efficere, conjecto. Quum in cadaveribus ab Hornio, Weidenbachio meque ipso exploratis, accumulationes humoris cuiusdam reperirentur, hanc inflammationem ad similitudinem blennorrhoearum in partibus nervis tenuibus munitis orientium accedere iudico. Sedes inflammationis secundum meam in cadavere observationem potissimum arachnoidea serosa et vaginae nervorum caudae equinae esse videntur. Sub fine morbi inflammatio ea ex toto evanescere videtur, quum aegrotus hoc tempore omnibus dorsi doloribus vacet. Tabem dorsualem a nimia venere causam proximam ex inflammatione finis infimi medullae spinalis repetere, Harlesius etiam asserit, eamque inflammationem venosam serosam nuncupat ³⁶).

§. X.

Si nun dorsualem tabem, me equidem existumante, ex medulla spinali repetendam censemus, dispositionem eius, ut supra monui, huic organo inesse debere, nec alio nisi debilitatis statu niti, intelligemus, qui vel connatus vel acquisitus sit licet. Proinde experientia docuit, homines, ut supra propositum est, gracili habitu, nervis tenuioribus, ergo medulla tenera spinali instructos, praeter ceteris huic morbo patere. Homines etiam musculis tenuibus praesertim artuum praediti, iusta medullae spinalis energia destitui videntur, siquidem ego nullum unquam gibbosum musculis robustis conspicuum vidi, cuiusmodi tamen hominibus debilitatem aliquam spinalis medullae adscribamus necesse est. Seminium hocce tabis dorsualis acquiri etiam, vel, si connatum est, magis juvari potest potentiis omnibus noxiis, in medulla sanguinis circuitum impredientibus; qui per se gressu hominum erecto difficilior quam in quadrupedibus redditur. Hisce experientia etiam adstipulatur, quippe quae docet, homines maximam vitae partem sublimi corpore agentes, quin imo coitum

stando exercentes, praeprimis tabe dorsuali periclitari.

§. XI.

Vitiis vero medullae spinalis, tanquam organi ad vitam animalemaxime necessari, in cuius momentum Frankius egregius ³⁷⁾ medicorum animos attendit, gravissima totius corporis mala enasci, tum ex physiologiae praeceptis redundat, tum experientiae testimonio confirmatur. Si iam successiva medullae spinalis pressione in hydrorachitide corpus maximopere tabescere, et paraly sin artuum enasci videmus, quanto magis vitiis medullae, quibus materia et forma eius sensim afficiuntur et destruuntur, diversissima corporis mala exoriri oportet. Multiplices autem causae sunt quae lentam destructionem medullae efficere queant. Non solum chronica inflammatio, ex congestionibus in coitu coorta, partem eius destruit, unde tabes inducitur, sed tabescentiae etiam observatae sunt ab exitu acutarum medullae spinalis inflammationum, quae si tunicas modo medullae, quod plurimum evenit, adoriebantur, varia earum vitia reliquerunt, quae quidem in ipsam medullam reagebant, chronicamque eius inflammationem sustentabant. Vel inflammationes medullae obvenerunt, quae intimam medullam occuparent, et successivam ejus destructionem moverent vel ex tumoribus, exostosis aliisque vertebrarum vitiis, ex variis porro tumoribus theca in vertebrali, massam medullae correptam et deletam vidimus, quibus in multis tabes successit. Quinam tabium generi hancce adnumerandam censebimus, nisi utique generi tabium nervorum, et quo alio nomine tabem, quae originem inertiae medullae spinalis debet, appellabimus, nisi tabis a medulla spinali, aut si quis, majorum reverentia ductus, appellationem hippocraticam retinere maluerit, tabis dorsualis denominatione? Proinde non solum tabes dorsualis a nimia venere, (quam

37) Peter Frank Untersuchungen über die Krankheiten des Rückenmarks, in den auserlesenen Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte. Band 15.

ex causa agnosci perhibent) verum etiam ex diversissimis causis medullam lente destruentibus existit, quam quidem ex effectibus causarum, ex notis, quas medulla destructione periclitata exhibet, perspicere licet.

§. XII.

Vix tamen unquam, si tabes ex vitiis medullae enascitur, vivo in homine indolem vitiorum perquirere licet, ubi enim signa sunt, quae tumorem circa medullam, eam destructurum indicent? ubi nam notae, quae significant, eandem medullam alibi induratum, vel in materiam gelatinosam alienatum, vel quibusdam in locis pure infectam, vel cretaceam aliasque metamorphoses subiisse, ubi denique signa, quibus pateat medullam exostosis aliisve rebus comprimi? unde, et si minus destruitur, inertiam tamen patiatur necesse est. De omnibus his conditionibus ex causis quidem antecedentibus, ex concursu omnium symptomatum suspicari, nunquam autem singulis in exemplis certo affirmare licet, aegrotum phthisi medullae sive myelophthisi laborare, quae enim signa suppurationem portendunt? Brera, Harles, Bergamaschi, Niel alique myelitidis chronicae medullae, ut supra dixi, mentionem faciunt, notasque eius tabescentiam cum signis inertiae medullae coniunctam nuncupant. Myelitiden chronicam in aegrotis conjectabant, qui vel antea myelitide acuta periclitabantur, vel dolores dorsi conquerebantur. Sectione facta medullam mollem, tenuem (sottile quod Brera vocat) dissolutam, purulentam, variis extravasatis inundatam, tunicas dirutas rel. observarunt. Nonne vero, etiamsi medulla indurata vel in massam cretaceam aut gelatinosam dissoluta fuisset, aequae signa inertiae eius vivo in homine comparuissent. Haud inefficiendum est causas plurimas medullam lente conficientes inflammationem eius chronicam effecturas, saepe tamen signa doloris, e quibus solis inflammatio haec medullae colligi posse videtur, fallaciam inducunt; quoties enim in cadaveribus medullam cerebri praeter modum liquatam et mollem sine vestigiis inflammationis praeviae invenimus,

uum in vivo tamen homine notae omnes inflammationem cerebri chronicam praemonstrarent. Quid sit quod impediat quo minus huiusmodi devestationes in medulla spinali eveniant, quamvis nulla adductae inflammatione, cuius, corpore vivo, luvulentissima signa adfuerunt. Neque non, si inflammatio chronica adest, qualem in statum medulla spinalis sit redacta, an inflammatio adhuc ura, an quibusdam in locis medullae indurationes et suppurationes moverit rel. ignoramus, quum omnibus notis hosce status evincentibus destituamur. Quam ob rem ea tantummodo, quae in visis observantur, considerare, et unamquamque talem e successiva medullae spinalis debilitatione orientem, tabem inquam dorsualem, vel si cui placuerit, tabem a medulla spinali appellare oportet. In quovis autem casu singulo, si causa illius debilitationis in confesso est, si diligenter tabem aspiciamus, eruere studebimus, num debilitas ista inflammatione an induratione an liquatione an aliis medullae affectionibus nitatur.

§. XIII.

De signis in genere ex diversis medullae spinalis vitiis oriundis, pauca quae satisfacere possint ab autoribus proposita video, neque magis effatale modo destructionis respondent, ut morbos, qui inde nascuntur, argumentari possimus. Medulla spinalis organon gravissimum cum cerebro, omnium fere minime indagatum est, et recentiori denum aetate Keuffel ³⁸⁾ descriptionem structurae eius sanae exhibuit, sed quam exigua et quam vitiosa sunt, quae de indole eius morbosa traduntur! Hoc inter omnes constat, non quamlibet alienationem formae et mixtionis medullae spinalis tabem dorsualem procreare, siquidem aliae paralyses dimidiatas, aliae spasmos diversissimae indolis rel. movent. Quis status medullae spinalis in universum tabem nostram procreet, a nullo adhuc scriptore delineatum est. Comparavi deinde scriptores, qui de morbis medullae quaedam exposuerunt, si

38) G. G. Th. Keuffel, De medulla spinali, dissert. inaugur. med. Halae 1810.

forte argumentationes, tabem dorsualem dilucidantes, inde repetere possem. Longus essem, quod vitari oportet, omnes omnino morbi et sectionis historias de medullae vitiis enumeraturus, quam ob rem omnibus, qui sententiam meam exploraturi sunt, libellos commendo a Frankio ³⁹⁾, Plouquetio ⁴⁰⁾, Portolio ⁴¹⁾, Chambon de Monteaux ⁴²⁾, Bell ⁴³⁾, Perrault ⁴⁴⁾, Morgagni ⁴⁵⁾, Ferro ⁴⁶⁾, Horn ⁴⁷⁾, Esquirol ⁴⁸⁾, Hertel ⁴⁹⁾, Loewenhard ⁵⁰⁾ aliisque exhibitos. Quibus inter se comparatis ratiocinium deducere mihi visus sum, destructiones medullae spinalis partiales vel mediae vel laterum, superstitae tamen medullae per totam longitudinem locis sanis cohaerentia, nullam tabem sed spasmos varii generis, paralyses aliaque provocare. Huius sententiae veritas, quum multis praeterea observationibus vindicetur, exemplo a Portolio ⁵¹⁾ memoriae prodito, quod referre non dubitavi, illustratur: „Mulier quaedam, quo tempore fluxus mensium redire debebat, acerbissimis brachii laevi convulsionibus parturbabatur, quibus, nisi menstruatione

39) Frank libr. cit.

40) Plouquetii dissert. exhib. exemplum singularis morbi paralytici. Tub. 1806.

41) Anton Portal Beobachtungen aus der pathologischen Anatomie, in den auserlesenen Abhandlungen für praktische Aerzte. Band 23.

42) Chambon de Monteaux Krankengeschichten T. III. N o. 84.

43) Bell, Edinburgh. med. Commentar. T. III.

44) Perrault Journal de médec., T. VI. pag 389.

45) Morgagni de sed. et caus. morb. Epist XXV.

46) Ferro, medicin. Archiv von Wien, 1800—1801.

47) Horn libr. c.

48) Esquirol. Ueber den Zustand des Rückenmarks in der Epilepsie, in Meckel's Archiv der Physiologie Band 4. Heft 1

49) A. B. Hertel Dissert. de cerebri et meningum. tumoribus. Berol. 1817.

50) Loewenhard de Myelophthisi chronica vera et notha. Berol. 1817.

51) Libr. c. pag 65.

magnum sanguinis damnum fecerat, non liberata est. Quum anno aetatis quadragesimo menstrua cessassent, femur sinistrum paralyticum factum, et eiusdem lateris brachium convulsionibus tentatum est. Post quae tandem expiravit, et in cadavere eius circa regionem vertebrarum ultimarum dorsi et primarum lumborum dura mater et arachnoidea inflammatae repertae sunt, medulla spinalis ad extrum latus emollita, ad sinistrum vero sana apparuit.

Ubi medullae spinalis locus singulus per totum diametrum aegrotaverit, indeque continuitas eius fuerit dimidiata, ibi tabem dorsualem, iudico, esse mortuam.

§. XIV.

Tabes cum lentissimo sensus et motus decremento partium inferiorum, cum relaxatione omnium fibrarum earundem partium, cum vesicae urinariae paralyti, cum summa musculorum dorsi maciatione, ita ut inde vertebrarum processus spinosi valde promineant, cum paralyti brachiorum, sed tum demum, ut videtur, si medulla spinalis circa plexum brachialem morbosa est, speciem talis nervosae sistit, quam tabem dorsualem nominari volo. Semper fere cum symptomatis modo commemoratis dorsi dolores coniunguntur, qui pressione in dorsum facta non augescunt; utique vero si aeger spinam dorsi incurvat. Qui dolores modo pungentes modo urentes sunt, modo aeger aliquem dorsi locum prunam impositam, vel alorem siccum in tergo sentire, aut vermes, per se reptare opiniatur. Hos dolores potissimum adesse licet, si tabes dorsualis inflammatione chronica partiali medullae nititur, quae quo vehementior, eo maiores erunt dolores, sub quibus aegrotus passim convulsionibus torquetur. Interdum tamen dolor nullus, vel ab initio parvus, morbi coeque esse videtur, si medulla spinalis alicubi paucim alienata, in gelatinam liquata in massam matri perlarum similem mutata, vel indurata rel. est; quod huiusmodi statum significaret, nullum apud auctores signum reperi. Haec tabes semper comi-

tem habet affectionem hypochondriacam; aeger tristis ac morosus, animo facile sollicitatur, ex affectibus vel minimis cor palpitatur, omniaque lassitudinem ei inferunt, dolores, praesertim occipitis interdum susurrum aurium, vertiginem aliaque conqueritur, ciborum appetentia imminuta; alvusque ut plurimum obstructa. Aliis in casibus febris lenta maturius, in aliis tardius accedit. In exemplo a Portatio ⁵²⁾ observato, in quo medulla circumplexum brachialem per diametrum iuduruerat, pulsus aegroti sub fine morbi inertior et minor evasit, aegrotusque postremo facultate loquendi ac deglutiendi privatus est.

Symptomata huius tabis tum modo tum loco affectionis medullae spinalis maxime se accommodare, unusquisque facile intelliget. Quum medulla altius in regione plexus brachialis aegrotat, paralysis descripta utriusque brachii praecipue oculis patet, et serius demum paralysis pedum ac vesicae subsequetur. Medulla vero haud procul a fine affecta, organa, quae nervos ex parte, subter loco affecto iacente trahunt, prae reliquis male habebunt, et paralysis partium inferiorum atque vesicae celerius eveniet, nunquam autem brachiorum paralysis sequetur. Si morbus in peius convertitur, partes, cum relaxatione paralyticas, maxime oedema invadit, quin imo iuxta spinam dorsalem ulcuscula alia erumpunt, alia finiuntur, aegroti inter colliquationes diem supremum obeunt.

Sane non mediocris difficultatis est exactam claramque huius morbi imaginem adumbrare, quippe qui, quoties obvenit, plerumque a medicis non ex medulla spinali repeteretur, sed tabes nervosa putaretur, quacum, tanquam species, permulta communia habet.

Denique non potui quin commonefacerem, omnia signa huius tabis a symptomatis tabis dorsualis ex nimia venere eo discrepare ac distingui, quod maiori cum energia quam tabis ex nimia venere

prodennt, siquidem in hac ab initio morbi ad finem usque medulla debilitata laborat, in illa autem valentius medulla agit. Conf. loca Hippocratis supra laudata.

§. XV.

Causas occasionales tabis nostrae si considerare velis, ex supra positis diversissimas esse intelliges, quarum plurimae medullam spinalem, inflammationem chronicam eius movendo, destruunt. Partim mechanicae sunt, ut concussiones, pressiones, irritationes, partim vitiis vertebrarum vel partium vicinarum vel vitiis nervorum singulorum medullae, quae affectionem suam cum medulla communicant, excitatae. Quaecunque inflammationem chronicam sibi movere possunt causae, eandem etiam medullae spinali inferre queunt; praecipue arthritis, syphilis et metastases diversi generis, vi destructionis medullae producendi, pollere videntur. Quae causae medullae partes in massam cretaceam, gelatinosam vel redigant, nondum certo constat. Quod vero ad disponentes pertinet, facile elucet, dispositionem quidem in spinali medulla debilitata esse quaerendam, veruntamen et medullam integerrimam tum maris tum feminae destrui, ideoque tabi anam praebere posse.

§. XVI.

Sicut in tabe dorsuali a nimia venere medulla spinalis nervique systematis gangliorum simul afficiuntur, ita tamen, ut hi jam ante affectionem medullae primitus laborarent, sic nostra tabe medulla primitus corripitur et propter conjunctionem arctissimam nervorum medullae cum nervis mollioribus hi afficiuntur, unde molestiae abdominis huic morbo propriae, iisque capitis mala inducuntur. Vitia autem nervi sympathici nunquam non obtinebunt, si vel medulla superior sive inferior laesa sit, nec desunt partium inferiorum paralyses et vesicae affectiones, quia, quocunque loco medulla destructa est, nervorum ab iis partibus cohibetur.

§. XVII.

Tabes dorsualis tum a nimia venere, tum non sic dicta; morbus hominem lente conficiens ap-

paret, maxime si devastatio spinalis medullae eximie adaugetur. Sub initiis eam sanari sperabis, si causam eius in inflammatione chronica medullae, quae naturae auxilio medelam recipit, positam esse suspicaberis. Natura autem repugnante, mala levare, vitamque aegroti, quantum fieri licet, prorogare, medici est.

Vitae Curriculum

ex Decreto

Gratosae Facultatis Medicae Berolinensis

adjectum.

Ego Theophilus Guilelmus Schesmer die VI M. Decembris A. MDCCXCVI. Mariaeinsulae, oppido Borussiae occidentalis, natus et a puero parentum meorum cura atque educatione gavissus sum. A MDCCCVI in Gymnasium, quod loco natali floret, receptus, litteris linguisque, quae in Gymnasiis doceri solent, per sex annos eruditus sum; deinde studiis, quae viam ad altiora pandunt absolutis. A MDCCCXIV die XXXI M. Augusti Medicinae operam daturus, in aliam Universitatem Berolinensem me contuli, ibique a viro Amplissimo Rudolphi, tum temporis Universitatis Rectore, numero studiosorum adscriptus sum. Per semestre hybernum me edocuerunt Anatomica Viri Ill. Rudolphi et Knape: Novum vero bellum cum contra Francogallos exarsisset, meum esse ratus, pro patria defendenda capere arma, mea sponte per novem menses in militia versatus sum. Bello finito et pace conciliata sub initio A. MDCCCXVI ad mansuetiores musas eversus, ab eo inde tempore praelectionibus audiendis incubui. Virum Ill. Kiesewetter audiavi in Mathesi, Logice et Aesthetice. Celeb. Ermann in Physica. Celeb. Turte in Chemia et Physica. Ill. Rudolphi in Encyclopaedia et Methodologia medicinae et in Physiologia. Ill. Knape et Rudolphi in

Anatomia practica. Ill. Link in Historia medicinae Historia naturali generali, in ncyclopaedia disciplinarum naturalium, nec non in Botanica et Pharmacologia. Celeb. Osann in Materia medica. Ill. Horn in Pathologia et in doctrina de morbis syphiliticis. Peril. Hufeland in doctrina de cognoscendis et curandis morbis acutis. Ill. Berends in praelectionibus de morbis longis et in interpretando Celso. Ill. Graefe in cunctis Chirurgiae partibus et in Ophthalmiatrice. Ill. de Siebold in arte obstetricia theoretica et practica. Celeb. Bernstein in Acologia. Celeb. Richter in morbis infantum. Exercitationibus clinicis interfui Viri Peril. Hufeland, Ill. Berends. Ill. Horn, Ill. Graefe, Ill. de Siebold.

Peracto tentamine et examine riguroso, nec non absoluto cursu anatomico chirurgico et clinico, hanc dissertationem publice defensurus, conscripsi.



